



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

V. Stylus Edicti non alienus ab ætate Pauli. Donationis illius meminit Hadrianus I. octo annis post Paulum. Extat in Collectione Isidori eodem seculo. Eam allegant Hincmarus & Ardo, ante Othonis I. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

randarum Italiae provinciarum dejiciuntur, cum hoc Edicto Constantinus urbem Romanam & omnes totius Italiae & Occidentalium regionum provincias, loca, & civitates beatissimo Pontifici Silvestro universali Papae concedat atque relinquat, & successorum ipsius Pontificum potestati atque ditioni per hanc divalem suam & pragmaticum constitutum decernat disponendum, atque juri sanctae Romanae Ecclesiae concedat permanens. Quamvis autem varie explicari possint Occidentales illae regiones hoc Edicto comprehensae; id tamen positum est extra controversiam, saltem Italiam, quae discrete tribuitur, hac donatione contineri, & aliquot regiones illi adjunctas, ut interpretatur vir eruditissimus. Petrus Damianus sexcentis abhinc annis Italiam concessam existimabat. Otho Frisingensis Gallias & Germanias ab ea donatione Romanos sua aetate excipere solitos scribit.

IV. Secundò, fastus Patriarchae CP. reprimitur: qui etsi honore praecellere Romanum Pontificem non inficiaretur, ob veteris Romae dignitatem, attamen secundum gradum sedi novae Romae tribuebat, & aequalia privilegia cum veteri, in rerum ecclesiasticarum administratione. Hic verò Constantinopolitana sedes post Antiochenam, Alexandrinam, & Hierosolymitanam recensetur; & Romano Pontifici non sola confessus praerogativa, sed etiam principatus in omnes Ecclesias & Universalis Papae appellatio tribuitur. Atqui ex hoc articulo maximum inficitiae argumentum trahunt viri eruditi adversus interpolatorem donationis, eò quòd Constantinopolitanam sedem inter patriarchales recensent tempore Constantini, cum certum sit eventam tantum fuisse in eam dignitatem à Concilio Chalcedonensi, centum triginta & amplius annis post tempus Edicti. Mihi autem plus artis quam imperitiae prodere videtur auctor. Non enim de historiae veritate se anxium praestat, sed de adversariorum profligatione; qui fortius conteri non possunt, quam si opiniones apud illos certae, etsi aliunde falsae, manifestè refellantur. Graeci mediae aetatis, contra majorum suorum sententiam, contendebant honorem Ecclesiis debitum, à sola urbium dignitate pendere. Vnde colligebant, & asserbant, eodem momento quo Constantinus in urbe sibi cognominatae regiam sedem constituerat, primatum Ecclesiae Constantinopolitanae contulisse; solà antiquitatis praerogativam veteris Romae Episcopo relicta, non autem aliquo potiori jure. Quae dignitas deinde confirmata fuerit à Synodo secunda, & à

Quarta Oecumenica. Et quia nostri B. Petri privilegio sedis apostolicae principatum commendabant; ne privilegium sedis apostolicae suae quoque Ecclesiae deesse videretur, in laterculo suorum Episcoporum B. Andream primum recensebant, ut patet è Chronico Nicephori Patriarchae. Ne autem commentus videar quae de dignitate patriarchali à Constantino collata Ecclesiae Constantinopolitanae dixi, proferam testem ea in re omni exceptione majorem. Is est Zonaras, qui in libris annalium haec scribit: *Et cum antea Byzantij episcopus esset Heraclea Thraeica, evexit eum (Constantinus) ad patriarchatus honorem; privilegia veteri Romae conservans propter antiquitatem. Et quòd ex ea urbe in istum Imperium transfulisset.*

In eam sententiam Alexia Comnena Alexij Imperatoris filia scripsit, translato Byzantium & adempto Romanis Imperio, translata quoque sedium praerogativam. Quare prudenter & astute donationis auctor Constantinum inducit consilium excitandae Constantinopoleos in reliquiis Byzantij proponentem, caele, ut Ecclesia quae inter sedes praecipuas ab eo allegenda erat, & reliquas ordine sequeretur, & ipsa una cum ceteris Ecclesiae Romanae subesset; quae à Christo Domino, non autem ab urbis dignitate, principatum sibi collatum suscepit. Tertio, quia Graeci cum Romanis de variis capitibus fidem & disciplinam respicientibus contendebant, ut de processione sancti Spiritus, de imaginibus, de azymo, & aliis, hoc Edicto ea omnia quae cultum Dei & fidei Christianorum stabilitatem contingunt, Romanae sedis judicio disponenda relinquuntur.

V. Ceterum non solum res ipsa persuadere potest confectum Edictum temporibus Pauli Papae, ob eam quam dixi occasionem, sed etiam stylus & scribendi character, qui apprime convenit cum squallore illorum temporum. *Divalis, Imperialis sacra, praemmaticum constitutum, Satrapa, Optimates, signa, banda,* & plurima alia in hoc Edicto usurpata, passim occurrunt in Pauli Papae epistolis & aliis scriptoribus illius aetatis. Accedit quòd octo annis post conventum Gentiliacensem, id est, anno septingentesimo septuagesimo quinto, Hadrianus I. Pontifex non obscure meminit hujus donationis, gratulans Carolo M. quòd exemplo Constantini, qui potestatem Ecclesiae Romanae in Hesperiae partibus contulerat, omnia ipse quoque indulgisset. Non loquitur de patrimonii donatis à Constantino, sed de potestate collata, non in omnem Ecclesiam, ne quis hoc ad dignitatem spiritualem referat, sed in Occidente, ut de auctoritate & imperio

Joan. Mor. c. 8.  
Petrus Damianus  
Regnum Italiae  
judicandum tradi-  
dit.  
Otho l. Chron. c.  
3. Exhinc Romana  
Ecclesia, Occiden-  
talia regna tan-  
quam sui juris à  
Constantino sibi  
tradita affirmat,  
in argumentum  
que tributum, ex-  
cepit duobus  
Fructuorum ve-  
gnis, usque hodie  
exigere non dubi-  
tat.

Zonaras in An-  
nali. de Consti-  
t. K. Constantinus  
Evexit eum (Con-  
stantinus) ad  
patriarchatus ho-  
norem; privilegia  
veteri Romae con-  
servans propter  
antiquitatem. Et  
quòd ex ea urbe  
in istum Imperium  
transfulisset.

Anna l. 1. Alexia  
Comnena Alexij  
Imperatoris filia  
scripsit, translato  
Byzantium & ad-  
empto Romanis  
Imperio, transla-  
ta quoque sedium  
praerogativam.

Hadrianus I.  
Pontifex non obscure  
meminit hujus  
donationis, gratu-  
lans Carolo M. quòd  
exemplo Constantini,  
qui potestatem Ec-  
clesiae Romanae in  
Hesperiae partibus  
contulerat, omnia  
ipse quoque indul-  
gisset. Non loquitur  
de patrimonii donatis  
à Constantino, sed  
de potestate collata,  
non in omnem Ec-  
clesiam, ne quis hoc  
ad dignitatem spiri-  
tualem referat, sed  
in Occidente, ut de  
auctoritate & imperio



## & Imperij Lib. III. Cap. XIII. 171

temporali hoc intelligeretur. qua potestatis voce in eam rem quoque utitur Edictum. Deinde Carolus componitur cum Constantino, in beneficiis collatis, quod ad injuriam Caroli pertineret, si Constantinus aliquot patrimoniorum largitione tantum defunctus esse dicatur. Relata est etiam hac donatio in Collectione Iſidori. quæ Collectio tempore Caroli Magni publicata est. Ejus quoque disertissimè mentionem facit Hincmarus in epistola qua Karlomanni Regis institutionem describit anno octingentesimo octuagesimo secundo: *Constantinus Magnus Imperator Christianus effectus, propter amorem & honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, sedem suam, urbem scilicet Romanam, Pape Silvestro edicto privilegij tradidit, & sedem suam in civitate sua, que antea Byzantium vocabatur, nominis sui civitatem ampliando edificavit.* Ado Viennensis, qui eodem seculo scripsit quo Hincmarus, id est, desinente nongentesimo, hujus quoque Constantini Edicti meminit, quemadmodum Luitprandus Cremonensis eo respexit in legatione ad Nicephorum.

VI. Otho III. in diplomate suo edito circa annum millesimum, à Ioanne Diacono confictum putat, iis verbis quæ supra retuli. Anonymus scriptor, sive Marquardus Freherus, in Notis suis ad diploma Othonis, existimat hunc Ioannem Diaconum, eum esse qui vitam sancti Gregorij scripsit, Caroli Calvi ætate. Ill. Card. Baronius refert Othonis verba ad Ioannem quendam Cardinalem, à Ioanne XII. abscissis duobus digitis, naso, & lingua deformatum. Quæ opinio nititur accipi illa lectione quæ in codice Baronij cognomentum huic Ioanni Diacono tribuit *Digitorum mutus*, id est, ut ille interpretatur, truncati & mutili, è recenti voce Italica *Mozzo*. Cùm autem locus ille planè mutilus sit, nihil certi ex eo colligi potest. In codice enim Freheri legitur, *Digitorum mutus*; & ad oram libri, *munitus*. Quæcunque autem lectio constituitur, certum est, si aliquis Ioannes Diaconus auctor sit hujus commentitij Edicti, eum omnino alium esse à duobus illis Diaconis quos recensui, cùm formula ista privilegij longè sit illis antiquior. Fortasse Ioanni Subdiacono, qui erat unus è Legatis Pauli Papæ, non absurdè tribui poterit. Vel si ad Ioannem Diaconum alterum referatur; transcripsisse potiùs in membranas aureis literis, ut Caroli Calvi liberalitatem provocaret, quàm de novo finxisse dicendus est. Sanè cùm iura omnia quæ Regibus reliqua erant Carolus remisit, ut docuit Eutropius; & Ioannes VIII. scribat eum *omne jus*

*potestatis antiquitus attributum Ecclesie Romanæ capitulariter renovasse*, hanc donationem tunc Carolo objectam videtur respexisse. Quidquid sit de nomine auctoris, satis constat de origine hujus commenti. Vnde refelli potest quod ab Othone III. affingitur Pontificibus; eos, postquam Ecclesie suæ bona profligassent, Imperij provincias ad se traxisse, commentitiis Constantini & Caroli Calvi donationibus. Quæ expostulatio omnino aliena est à veritate rei. Nullus enim Pontificum Imperij jura invasit, quæ illis à Pippino, Carolo, & Ludovico collata sunt; etsi Otho has liberalitates dissimulet. Quinimo nullus illorum reditus suos dilapidavit; eo præcipuè tempore quo donatio ista emerit in lucem. Tunc enim de acquirendo rerum dominio veris Principum largitionibus, non autem de usurpando, cogitabant. Sed narrationem illam arte quadam concinnatam oportuit, ut tot provincias à Regibus Francorum collatas, & ab Othone avo suo confirmatas, per injuriam Otho III. abduceret, relicti tantum octo Comitatus specie liberalitatis, quam in gratiam Silvestri II. magistri quondam sui, & his alienationibus convenientis, exereret. Ceterum Nicolaus primus, Anastasius Bibliothecarius, & alij antiqui scriptores à mentione hujus donationis abstinerunt: quia cùm Regum Franciæ privilegia illis sufficerent, nolebant Edicti commentitio niti.

### CAPUT XIII.

#### Synopsis.

I. De dispensationibus agendum, quibus iuri canonico derogatur. Quo sensu usurpetur vox illa apud Iureconsultos, & in sacris scripturis. In iure canonico sumitur pro venia legis. A Grecis manavit hæc dispensationis significatio, qui eam vocant *απόκλιση*, cuius vocis usus varij. Varia quoque dispensationis nomina.

II. Discrimen veterum dispensationum & recentiorum. Ille post canones infractus, iste ne infringantur concessa. Indulgentia criminis & pœne canonice Clericis & laicis aliquando concedebatur. Absolutio apud Eulogium, pro penitentia & communionis beneficio post lapsum. quod Innocentius misericordie nomine expressit.

III. Remissio pœne canonice ad arbitrium Episcopi, erga Clericos vel laicos, qui aliquando ob pœne duritiem ad paganos desiciebant. Differentia in eo capite Episcoporum & iudicium, è Photio.

IV. Clericis & Episcopis per vitium ordinatis, vel heretica communionem infectis, venia etiam datur; sed à synodis tantum; aut à Summo Pontifice. De Clericis Arrianorum communionem amplexis responsum Athanasij.

Y ij